



Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsqve ad finem: &
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

Suárez, Francisco

[Köln], 1616

Sectio 1. Quæ sit eius materia remota.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

expulsiuam peccati aliquid ei additur. Et propterea A fortasse Alenfis, 4. p. q. 18. memb. 2. arti. 1. hoc sacramentum dixit esse veluti formam perficientem contritionem, & effectum eius, quoad remissionem peccati, quia complet modo explicato hunc effectum. Et sub ea ratione votum eius est necessarium, non tantum necessitate præcepti, sed etiam medij, quoniam hæc duo separabilia non sunt in hoc sacramento, vt diximus.

An votum huius sacramenti debeat esse explicitum, an sufficiat implicitum.

8 **C**irca secundum: difficultas est in hac conclusio- ne, an oporteat hoc votum sacramenti esse explicitum, vel sufficiat implicitum. Cano enim supra dict. relect. p. 5. post medium, dixit requiri explicitum, Quam sententiam tribuit Magistro, & D. Thomæ. Sed re vera antiqui non sunt vsi tali distinctione, licet interdum dicant requiri propositum, seu desiderium sacramenti, vt videre est in Bonauent. d. 17. ar. 1. q. 4. Durando q. 2. Paludano q. 2. art. 3. fundamentum Cansi est, quia alias contritio nunc sufficeret ad iustificationem per se, & vi sua sine ordine ad clauis: quod est contra Trid. sess. 6. c. 14. & sess. 14. c. 4. & contra concilium Complutense, & definitionem Sixti 4. quæ ibi refertur. Sequelam non probat. Probari vero potest, quia si sufficit propositum implicitum, id solum erit propositum seruandi omnia mandata, & quia nunc vnum ex ijs mādatis est præceptum confessionis, etiam hoc in illo vniuersali proposito continebitur, sicut alia: ergo non magis iustificabit contritio in voto huius sacramenti, quam in voto Eucharistiæ, vel restitutionis, aut similibus. Confirmatur, quia hæreticus, vel schismaticus non potest consequi remissionem peccati, nisi explicitè proponat reconciliari Ecclesiæ, teste Augustino libro de Vera & falsa religione, capit. 12. ergo similiter, &c.

9 **C**ontraria nihilominus sententia, & communis est, & vera, & mihi prædicte certa, sufficere scilicet votum implicitum, quale includitur ex natura rei in amore Dei super omnia, & proposito seruandi omnia mandata, supposita institutione, & necessitate huius sacramenti. Hoc sentit D. Thomas d. 17. qu. 3. art. 5. q. 1. Richardus art. 1. qu. 1. ad 4. Bonauent. art. 2. q. 4. in vltimo argumento cum solutione. Maior. d. 14. q. 2. & Gabriel supra, Adrianus q. 1. de Confessione ad 2. Soto d. 14. q. 1. art. 5. & d. 17. q. 2. art. 1. in fine, qui refert Alensem qu. 76. memb. 1. vbi requirit quidem propositum, non tamen explicat quale illud futurum sit. Idem tenet Nauarrus in Surama c. 1. num. 15. Et hoc magis sumitur ex Tridentino sess. 14. cap. 4. Vbi inquit, nunc non esse tribuendam remissionem peccati ipsi contritioni sine voto sacramenti, quod in illa includitur: vera ergo contritio, si talis est, includit hoc votum: dixerat autem paulo antea idem Concilium, ad veram contritionem satis esse cum detestatione propositum seruandi omnia mandata. Ratio vero est, quia nullum est fundamentum ad requirendum huiusmodi propositum explicitum: nec potest ostendi præceptum de hac re neq; ex Scriptura, neq; ex traditione aliqua. Confirmatur, & explicatur hoc modo; nam vel hoc propositum requiritur, quia sine illo non potest haberi vera contritio: & hoc est falsum: quia etiam si quis non recorderet expressè confessionis, potest habere omnes actus, quos supra diximus perficere contritionem, quia nulla est re pugnantia, & gratis diceretur, Deum non dare gratiam excitantem, vel adiuuantem necessariam ad illos actus, nisi habenti ætternalem memoriam, & formale desiderium confessionis. Vel requiritur, quia licet haberi possit contritio sine tali voto, non tamen sufficit ad iustificationem. Fr. Suarez. tom. 4.

tionem: & hoc est omnino falsum, tum quia illi contritioni, vt dictum est, semper est coniuncta gratia, & charitas tanquam vltimæ dispositioni: tum etiam, quia in illa includitur votum sacramenti, & vtrumque dixit Concilium. Et confirmatur, quia alias pari ratione dici posset, contritionem non sufficere sine reali susceptione sacramenti. Vel requiritur hoc votum, vt suppleat vicem sacramenti, veluti dandò gratiam ex opere operato: & hoc est etiam omnino falsum, quia iustificatio, quæ solum fit per sacramentum in voto, tantum fit ex dispositione operantis: neq; ibi confertur vlla gratia sacramentalis, vt in superioribus saepe dictum est. Alias pari ratione dici posset, hominem iustificari ex opere operato per contritionem cum formali desiderio sacramenti. Confirmatur, quia in baptismo sufficit votum implicitum, vt docet D. Thom. supra q. 69. art. 4. ad 2. vbi late de hac re: ergo pari ratione in hoc sacramento, quia eadem est ratio: & sicut potest quis habere fidem, & contritionem cum ignorantia inuincibili baptismi, ita potest baptizatus habere fidem & contritionem cum obliuione inuincibili confessionis, vel etiam cum ignorantia: ergo eadem est ratio.

Ad fundamentum Cansi negatur sequela: & ad probationem iam supra explicatum est, non tribui effectum specialiter voto sacramenti, quia ex parte hominis requiratur ad illud votum actus, vel desiderium expressum: sed quia tale sacramentum non solum est præceptum, sicut alia, sed est per se institutum ad remissionem illorum peccatorum, tãquam medium necessarium ad illum effectum. Vnde quando in absentia sacramenti datur talis effectus per contritionem, illa dicitur habere ordinem ad tale sacramentum, quia supplet vicem eius, & quia semper illa peccata manent subiicienda clauibus ex vi illius voti & propositi. Ad confirmationem vero responderetur, si fit sermo de hæretico, non esse simile: ille enim non potest iustificari, nisi incipiat habere veram, & formalem fidem: & ideo necesse est, vt habeat voluntatem credendi, & consequenter redeundi ad Ecclesiam: si autem esset schismaticus non hæreticus, sed retinens veram fidem, ille iustificari posset cum dolore, & proposito seruandi omnia mandata.

DISPUTATIO XVIII.

De essentia, & ritu huius sacramenti in communi.

Dvobus modis potest definiiri essentia huius sacramenti: primo metaphysice per suum genus & differentiam, & dicitur esse signum efficax gratiæ remissionis peccati post baptismum commissi: quæ definitio nota est ex dictis. Alio modo agendum est de essentia huius sacramenti declarando partes quasi phisicas eius, materiam scilicet, & formam: quod hic generatim præstabitur, postea speciatim.

SECTIO I.

Quenam sit materia remota huius sacramenti.

Quoniam, vt ostendam Sect. sequente; sacramentum hoc, sicut alia nouæ legis, materia constat, & forma, dicendum prius hoc loco est de materia remota; ex qua lolet materia proxima confici. Quoniam autem ita loquuntur, vt dicant materiam remotam esse ipsum peccatorem qui absoluitur, vt D. Thomas Opusc. 22. capit. 4. & Gerson in floribus moralibus.

Veruntamen peccator potius est subiectum, de quo

Def.

Bonauent. Dur. Palud. Conc. Trid. Conc. Cremo. Plat.

Augu.

Vnum implicitum sufficere, vna sententia D. Tho. Ricb. Bonauent. Maior. Gabr. Adrian. Soto. Alenf. Nauarr. Conc. Trid.

io Fundam. to Cansi sa. 12. 13.

Prima opinio. D. Tho. Gerson.

Peccatum
actuale post
baptismum
commissum
esse materia
remota
huius sacra-
menti.
Affer. x.
D. Thom.
Per. Soto.
Dom. Soto.
Medina.

Originalis
peccati ad
hanc mate-
riam non per-
tinet.
Neg. actua-
le ante ba-
ptismum co-
missum.

Angel.
Medina.

Ostenditur
in mortali-
bus.
Cone. Trid.

Quomodo
in veniali-
bus habeat
locum assertio
Trident.
Leo 10
Gela. Pap.
Vega.

quo nunc non agimus: nam hoc subiectum com-
ne est omnibus sacramentis, & ad hoc, sicut & ad
cetera prater baptismum, supponi debet baptiza-
tus. Igitur dicendum est in primis ex communi sen-
tentia, peccatum actuale post baptismum commis-
sum esse materiam remotam huius sacramenti. Ita
docent omnes Theologi statim citandi, cum D. Th.
q. 84. arti. 2. P. Soto lect. 2. & 2. de Poenitentia, Soto d.
14. q. 1. art. 2. Medina Cod. de Poenit. q. 2. Dicuntur
autem peccata materia huius sacramenti, non quia
sint materia ex qua, sicut lignum est materia statuae,
sed quia sunt materia circa quam sacramentum hoc
versatur. Sicut causa, de qua in aliquo iudicio agi-
tur, dicitur materia eius: sic enim totum negotium
huius sacramentalis iudicij circa hæc peccata ver-
satur, & ad illa tollenda institutum est. Remota ve-
ro materia dicitur respectus essentialium partium,
ex quibus proxime conficitur hoc sacramentum.
Nam contritio sacramentalis de peccato debet esse:
confessio etiam, accusatio est peccati: satisfactio,
eiusdem est vindicta: absolutio deniq; de his pec-
catis est & proxime informat debitam confessio-
nem.

Vnde concluditur primo, originale peccatum ad
hanc materiam non pertinere, quia nec propter il-
lud tollendum sacramentum hoc institutum est:
neq; illud est materia propriæ accusationis, cum nõ
sit propria voluntate commissum. Deinde inferitur,
neq; peccata actualia commissa ante baptismum suc-
ceptum pertinere ad hanc materiam, tum quia per
se, ac totaliter remittuntur per baptismum, & ideo
ad illa etiam tollenda non est ordinatum hoc sacra-
mentum, tum etiam quia persona illa pro illo statu
non est de iurisdictione Ecclesiæ, & ideo eius actus
non sunt subiecti clauibus. Vnde talia peccata non
tantum non sunt materia necessaria, verum nec suf-
ficiens, nec debet illa quis sacramentaliter confiteri,
cum ab eis non possit sacramentaliter absolui. In
quo etiam Theologi conveniunt: quamvis sine fun-
damento sentiat oppositum Angelus verb. Confes-
sio, 2. n. 2. de quo latius Med. tracta. 2. de confessione
in principio.

Quodlibet peccatum actuale hominis baptizati esse
sufficientem materiam huius sacra-
menti.

ASSERTIO II.

Secundo dicendum est, quodlibet peccatum a-
ctuale hominis baptizati esse sufficientem mate-
riam huius sacramenti. Declaratur, & probatur: nam in primis pecca-
tum mortale esse materiam sufficientem, & neces-
sariam, constat ex omnibus dictis disp. præcedenti,
& ex doctrina Concilij Tridentini sess. 14. quæ de
hoc peccato maxime procedit. Dicitur autem tale
peccatum materia necessaria, non quia sine illo non
possit confici hoc sacramentum, nam id falsum est,
vt statim dicam: sed è conuerso, quia illud tolli non
potest sine hoc sacramento, & quia si illud commis-
sum sit, & nunquam sit confessum, per se loquendo
necessarium est, vt de illo fiat confessio, alioquin nõ
erit validum sacramentum, vt latius infra disputan-
do de integritate confessionis dicetur. Vbi latius
constabit doctrinam hanc generaliter sumendam
esse de omnibus peccatis mortalibus post baptismum
commissis, & nunquam confessis.

Præterea locum habet conclusio in peccatis veni-
alibus: nam illa etiam sunt materia sufficiens, vt
patet ex Trident. sess. 14. c. 5. & can. 7. & ex Leone 10.
in Bulla contra Lutherum in damnatione 8. art. &
ex Gelasio Papa tom. de vincto anathematis: item
ex vsu omnium fidelium, & denique ex generalibus
verbis Christi, Quorum remisit peccata. De quo la-

tius Vega lib. 13. in Tridentinum cap. 3. Propter hoc
autem peccatorum genus ad didi secundam partem
conclusionis, in qua conueniunt omnes Theologi,
& sumitur ex eisdem locis. Nam hoc peccatum, li-
cet sit materia sufficiens nõ est necessaria: tum quia
potest alijs modis auferri sine ordipe ad hoc sacra-
mentum, aut voto eius: tum etiam, quia licet ad sit
tale peccatum, potest sine illius confessione sacra-
mentum confici, per se, & ex certa scientia & volun-
tate. Quo fit, vt ex verbis Christi Domini sæpe cita-
tis, illa priora, Quorum remisit peccata, comprehen-
dant venialia: Posteriora vero, Et quorum retinueritis
retenta sunt, non æque comprehendant, quia non i-
ta constituunt, aut faciunt illam esse materiam ne-
cessariam, sicut mortalia.

Vltimo locum habet dicta conclusio in peccatis
confessis semel, de quibus certa est posterior pars
assertionis, quia talia peccata non sunt materia ne-
cessaria, vt omnes Theologi docent, & Benedictus
XL in Extrauag. 1. de Priuilegijs, & dicitur latius dis-
putando de integritate. De priori autem parte, sci-
licet, quod hæc peccata sint materia sufficiens non
nulli dubitarunt, vt patet ex Richardo d. 18. articulo
2. quæst. 4. & refert Guillelmus de Rubion d. 15. qu.
2. dicens, non esse licitum de peccatis his, præsertim
solis, confessionem facere. Nihilominus tamẽ com-
munis, & certa sententia est, hæc peccata esse suffi-
cientem materiam, si quis velit ea iterum confiteri.
Ita docet Benedictus XL in dicta Extrauag. dicens,
esse salubrem talem confessionem. Confirmat hoc
etiam Catholicorum, & piorum omnium consue-
tudo. Ratio vero à priori petenda est ex institutio-
ne: nam Christus concedens hanc potestatem, non
limitauit illam ad vnum actum remissionis: alio-
quin vero est consentaneum & congruum fini hu-
ius sacramenti, vt ita fuerit institutum, tum pro-
pter vtilitatem; & maiorem securitatem animarum:
tum etiam, quia virtus poenitentiae iterum atq; ite-
rum potest exercere suos actus circa eadem peccata:
ergo, & hoc sacramentum: nam iuuat quodam mo-
do illam virtutem, & ideo esse debuit eo dem modo
iterabile. Et hinc inferitur huiusmodi peccata iam
confessa non solum coniuncta cum alijs non con-
fessis, sed etiam per se sola sufficere posse ad confi-
ciendum hoc sacramentum, propter easdem ratio-
nes. Quod bene docuit Caiet. 1. Opusc. tract. 5. de
Confessione q. 4. & Medina tract. 2. q. de fructu ite-
randi confessionem.

Sed contra primo, quia in nullo sacramento po-
test forma sæpius cadere supra eandem materiam.
Respondetur, supra materiam remotam nego, su-
pra proximam concedo. Nam ex eadem numero a-
qua possunt multa baptismata confici, quia, licet a-
qua, quæ est materia remota, sit eadem, tamen ab-
lutio, quæ est materia proxima, potest esse diuersa.
Sic ergo in proposito licet peccatum sit idem, tamen
confessio, & accusatio est diuersa. Hinc tamen be-
ne concluditur, vt Medina supra notauit, supra ean-
dem confessionem non posse iterari absolutionem:
quod proprie fieret quando successiue idem pecca-
tum, eadem confessione accusatum, bis remittere-
tur per absolutionem, hoc enim fieri non potest: si-
cut non potest hostia consecrata, iterum consecrari:
at vero simul per modum vnius bene potest eadem
confessio pluribus formis informari, sicut in simili
constat de Eucharistia, & de Baptismo.

Sed vtgetur, quia etiam si idem peccatum iterum
in confessione dicatur, nõ possunt verba formæ ve-
re proferri circa tale peccatum nec suum habere ef-
fectum: quia quod semel remissum est, non potest
iterum remitti: sicut in naturalibus quod semel de-
structum est, non potest iterum destrui: & in mora-
libus sententia semel probata, & executioni mãdata
non potest super eandẽ causam iuste iterari. Et con-
firmatur, nam alijs per secundam absolutionem tolle-
retur

Quomodo
in peccatis
confessis
Bened. XI.
Richard. &
Guillelm.
reijciuntur.

Cone. Trid.

Caiet.
Medin.

Obiect. solu-
tur.

Instantia.

retur reatus pœnæ temporalis ex priori confessione relicto, & ita nulla esset necessitas satisfactionis, sed iterata confessionis eiusdem peccati.

Propter hoc dixerunt aliqui, ex huiusmodi materia verum confici sacramentum, illud tamen non habere effectum, quia inuenit factum quidquid facere possit. Quod saltem de effectu remissionis pœnæ affirmat Scotus dist. 19. ad primum, & sequitur Gabr. q. 1. art. 3. dub. 2. Oppositam sententiam omnino veram cenſeo, quam tenet D. Thom. d. 18. q. 1. art. 3. quæst. 2. ad 4. Durandus. q. 2. Soto q. 4. art. 3. in fine, Paludanus d. 19. quæst. 1. & bene Henricus Ganduensis quodlibet. 7. qu. 22. & 24. Caietanus, & Medina supra. Ratio est, quia sacramenta dant effectum infallibiliter non ponentibus obicem (supponimus enim confiteri cum vera attritione, & proposito) nec aliunde est incapax talis effectus, quia potest in gratia crescere, ergo, &c. Item magis tunc virgebit argumentum, quia significatio formæ falsa esset, ac propterea non solum superfluum, sed etiam illicitum esset tale suscipere sacramentum, quod non posset habere effectum. Denique fere idem dici posset de homine contrito, cum primum confitetur peccatum, quia iam est peccatum destructum, & gratia comparata, seu obtenta.

Respondetur ergo ad argumentum negando maiorem, quia hæc remissio peccati fit per gratiæ infusionem, & sanctificationem animæ, quem effectum habet semper absolutio rite data, & remoto obice suscipientis: & ideo talis forma habet hunc verum sensum: Ego tibi confero gratiam remissionem peccati quantum est ex se, vt latius dicemus Disput. sequente. Ad confirmationem, verum est per secundam absolutionem remitti aliquid pœnæ temporalis, sicut per priorem, iuxta dispositionem recipientis. Neque est inconueniens, quod aliquando non sit necessaria satisfactio ex opere operantis, si per aliam media remittatur pœna ex opere operato, vel per indulgentias suo modo, & per sacrificium missæ: eo vel maxime quod secunda confessio peccati, vt est bonus actus operantis, actus pœnalis est, & satisfactorius. Nullum ergo inconueniens est quod reiteratam confessionem eiusdem peccati tota pœna illi debita tandem remittatur: immo hic fortasse est vnus finis talis institutionis, ideo enim concessum est, vt eadem peccata possent sæpius esse materia confessionis, vt perfectior eorum remissio comparari posset, & vti in induceretur homines ad eorum pœnitentiam sæpius agendam. Neque etiam refert, quod prior absolutio semper maneat rata, quia, licet posterior habeat suum effectum, nihil derogat priori, sed vnaquæque habere potest suum effectum iuxta dispositionem suscipientis. Neque oportet seruari in omnibus similitudinem inter hoc iudicium, & iudicium humanum in extremo foro, in qua proportionem, seu similitudinem fundatur Scotus: quia in humano iudicio tantum interdicitur liberatio ab exteriori pœna, & expeditio litis, iuxta probationem externam: at vero in hoc iudicio interdicitur interior fructus animæ, & sanitas eius, quæ potest crescere iuxta dispositionem pœnitentis.

Vltimo addendum est in hac dubitatione, peccatum quoad culpam esse materiam, sine qua non potest confici hoc sacramentum. Hoc à fortiori patet ex omnibus dictis. Itaque, licet quis dicat se habere reatum pœnæ temporalis ex confessione priori relicto, non potest sacramentaliter absolui, nisi culpam confiteatur: nam ad hanc remittendam est directe data potestas: ad pœnam vero solū, vt ad quid accessorium, vt patet ex illis verbis, Quorum remissionem peccata, &c. & ex sensu, & vti Ecclesia. Item, quia illa non est accusatio proportionata huic iudicio, quod per se debet fieri de culpa, & iuxta illius qualitatem pœna imponi. Quia vero is, qui reatum pœnæ confiteretur, implicite fatetur se peccasse, ideo

Fr. Suarez. tom. 4.

A ex hac parte videri posset illa sufficiens materia: tamen etiam hoc sensu est valde implicite, & tantum generalis confessio, ac propterea per se loquendo, est insufficientis.

Dubitari tamen hic solet de culpa dubia, an sit sufficiens materia. Breuiter tamen dico materiam esse peccatum, quod in re fit: in re autem non dicitur esse peccatum dubium, sed in ordine ad cognitionem nostram, ex qua non variatur sacramenti materia. Tamen, quia in ordine ad nos potest simili casus accidere: ideo dicendum est semper adhibendam esse materiam certam, si fieri possit, & adiungendam in gradu suo, quia oportet, vt sit sacramentum validum cum humana certitudine, si fieri possit: & alioqui confessio debet esse integra, vt latius infra. Si tamen contingat nullam haberi posse materiam certam, prudenti arbitrio confessoris relinquitur, vt iuxta materiæ necessitatem, & periculum & dubij probabilitatem sacramentum conficiat; absoluedo sub conditione saltem concepta, vt constet ex generali doctrina de sacramentis in communi.

SECTIO II.

An sacramentum pœnitentiæ essentialiter sit compositum aliquod, ex materia, & forma sacramentali constans.

Quamuis negari non possit in hoc sacramentò aliquid esse per modum materiæ, & aliquid per modum formæ; ex generali doctrina sacramentorum tradita in Concilio Florentino, in Decreto Eugenij, & in Concilio Tridentino sess. 7. & explicata superiori tomo in proprio loco: nihilominus in essentia huius sacramenti explicanda est diuersitas inter Theologos. Prima erga sententia est totam essentiam huius sacramenti positam esse in verbis formæ, quamuis prærequirit legitimam confessionem, quia non potest sententia ferri causa non audita. Ita sentit Scotus in 4. d. 14. q. 4. Vnde in d. 16. q. 1. diserte negat confessionem, & contritionem esse partes huius sacramenti. Ex quo aperte sequitur sacramentum hoc non constare materia, & forma, & ita in terminis concedit Maior ibi quæ. 2. sequens opinionem Scoti: quem etiam sequitur Gabr. ibi q. 2. in principio, vbi cum Scoto definit, hoc sacramentum esse Absolutionem hominis pœnitentis, &c. In qua definitione ait significari, confessionem peccatorum esse ita necessariam, vt sine illa non possit fieri hoc sacramentum: & in hoc, inquit, tangitur materia huius sacramenti, eo modo, quo hic inuenitur. Et inferius videtur admittere, confessionem saltem esse partem huius sacramenti. Hanc etiam opinionem sequitur Dionysius Cisterciensis. d. 23. q. 1. art. 1. Fundamentum esse potest primo, quia forma est tota rei essentia. Sed hoc principium in materialibus rebus verum non est, neque applicari potest ad sacramentum, alias in omnibus sacramentis forma tantum esset essentia: quod nec Scotus ipse concedit. Igitur motuum Scoti fuisse videtur, qui tota significatio huius sacramenti posita est in illo verbo Absoluo: item etiam tota efficacia, quia solum sacerdos remittit peccata: sacramentum autem essentialiter est solum id, quod significat, & efficit. Et confirmatur, quia minister huius sacramenti est solus sacerdos, & non pœnitens: ergo solus ille efficit totam essentiam huius sacramenti: efficit autem sola verba, quibus absoluit: ergo in illis solis continetur tota essentia huius sacramenti.

Secunda opinio referri potest in contrario extremo, nimirum, totam essentiam huius sacramenti consistere in materia, vel in aliqua parte eius: absolutio-

Quædam sententia. Scot. Gabr. Vera solutio. D. Thom. Durandus. Palud. Henric. Caiet. Medina.

Respondetur ergo ad argumentum negando maiorem, quia hæc remissio peccati fit per gratiæ infusionem, & sanctificationem animæ, quem effectum habet semper absolutio rite data, & remoto obice suscipientis: & ideo talis forma habet hunc verum sensum: Ego tibi confero gratiam remissionem peccati quantum est ex se, vt latius dicemus Disput. sequente.

Peccatum quoad culpam esse materiam, sine qua non potest confici hoc sacramentum.

Dubitatio de culpa dubia.

Sententia.

Scotus.

Maior Gabr.

Dionys. Cister.

Secunda sententia.

X 2 lutio-